8

DISPUTATIO MEDICA INAVGVRALIS

De

CALIDO INNATO,

Quam

Sub

Moderamine Iatriarchæ Cœlestis, Medici Cunctipotentis Felicissimi,

ex

DECRETO ET AVTORITATE

Nobilissimi & Gratiosissimi

ARGENTORATENSIUM

Universitatis celeberrimæ

COLLEGII MEDICI,

pro

Summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis Doctoralibus ritè & legitimè consequendis

Publicæ placidæq́ʒ Philiatrorum Disquisitioni

submittit

M. JOHANNES CHRISTIANVS MACKIVS,

COBVRGO FRANCVS.

Ad diem XXV. Novembris H.L.Q. consuetis.

ARGENTORATI,

Typis JOSIÆ STEDELII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

ANNO MDCLXIII.

ILLUSTRISSIMO.

SACRI.

ROMANI. IMPERII.

QVADRVMVIRO.

COMITI GENEROSISSIMO.

DNO. DNO.

ALBERTO ANTONIO

COMITI.

SCHWARTZBVRGI. ET. HOHEN-
STEINI.

DYNASTÆ.

ARNSTADII. SONDERSHVSÆ.
LEVTENBERGÆ. LOHRÆ. AC.
CLETTENBERGÆ.

COMITI AC DOMINO.
SVO.

CLEMENTISSIMO.
GRATIOSISSIMO.

HANC
INAVGVRALEM. DISSERTATIONEM
HVMILIME.

SACRAT.

M. JOHANNES. CHRISTIANVS. MACKIVS.

J. N. S. S. T.

Thesis I.

ACturi de Calido innato recordamur præcepti *Galeni*, & ſtatim devolvimur ad Vocum cunabula; ἐπὶ πάντων ζητουμένων, *ſcribit*, (a) εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνειν τοὔνομα, *in omnibus, de quibus quæritur, ad rationem oportet ſumi ipſum Nomen: Vocis enim Vſu cognitô, ſæpe numero devolvimur in rei cognitionem* (b). teſte I. C. Scaligerô. a) M.M.c.3. b) Exercit.1. ſ. 1. de cauſ. LL.c.4.

II. *Nomina* habemus examinanda & *Græca* & *Latina*: Uſitatiora ſunt τὸ θερμὸν ἔμφυτον, *calidum innatum*. Sed cùm utraque vox per ſe clara, nec ullum de originatione aut compoſitione ſubſit dubium, progredimur.

III. Quod hìc quærunt Autores eſt, *an pro* τὸ ἔμφυτον *liceat ſubſtituere* σύμφυτον, ἀρχήγονον, πρωτόγονον? priùs illud lubentiùs addmittunt: poſteriora autem duo difficulter. *Putamus*, in reſpectu ad calidi noſtri ortum Galenum hæc nomina calido haud malè adaptâſſe, cùm, quod verba illa volunt, nobis primùm inſit, prout eleganter id demonſtrat *Cardelinus Victor* (d) c) Lib. de orig. fet. c. 8.

IV. *Synonyma* ſunt, τὸ θερμὸν σύμφυτον, ἀρχήγονον, φυσικὸν, ζωτικὸν, πῦρ ἔμφυτον, σύμφυτον, σύντροφον: calidum, calidum inſitum, nativum, calor vitalis, innatus, connatus, calidum vitale, ignis naturæ, nativus, animalis, Lampas vitæ, Germ. **die natürliche Wärme / die eingepflantzte Wärme.**

V. Rem ipſam inſpecturi maximè ſimus ſolliciti de Definitione, cùm *omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de re aliqua inſtitutio, debeat à Definitione proficiſci* docente Cicerone (e). Hìc inſeri & præmitti ſolitam Quæſtionem *an ſit*, omittimus, ne nobis de iis re- d) l. 1. Offic.

 bus

bus, quæ per se notæ, quærentibus suum *Philosophus* occinat γε-λοῖον, quod de Natura agentibus &, an sit, sciscitantibus opponit, (e) Calorem enim nobis inesse certissimô est certius, sed quid sit, intricatum satis & Doctoribus interdum ignotum quod de se est fassus *Ioh.Baptista Montanus.*

e) l. 2. Physic. c. 1. t. 6.

VI. Nobis, dum hæc molimur, speramus fas fore atq; integrum, Viros graves, qui de hoc argumento scripserunt, audire, confidentes tantam nobis nostram, quantam Ciceroni (f) sua dedit Academia Licentiam, *ut, quod maximè probabile occurrit, jure nostrô defendamus.* Veterum vestigia sequi, si recto itinere præcesserint, semper cum (g) *Plinio* duximus honestissimum, contra turpissimum Aristotelis, Galeni, Fernelii aliorumve autoritate compelli, ut ingenii fasces iis submittamus, & *quod in D. Thomæ respectum se fecisse dicit Didacus Masius* (h), sententiam, quam intellectu faciliorem paucioribusq; difficultatibus noverimus patentem, reiiciamus.

f) l. offic. 3.

g) Ep. l. 5. 8.

h) commẽt. ad c. 5. l. 4. physic.

VII. Galeni, Fernelii, Sennerti & aliorum sententias colligere & huc revocare supersedemus, cùm illas ὁ πολυμαθέστατος CONRINGIUS collectas & examinatas publicârit in aureo suo de calido innato Tractatu (i), unde nos sequentem eruimus definitionem. *Calidum innatum est substantia flammæ similis, Cordi radicaliter insita, oriunda potissimam sui partem ex semine Maris, sanguine enutrienda, pro cuius puritate ac integritate corpus nostrum, cui per arterias cum sanguine communicatur, vegetum existit aut morbidum, & ad cuius consumtionem extinctionemve Mors naturalis sequitur aut violenta, Animæ organon & vinculum.*

i) c. 3 4. 5.

IIX. Consonat, quam *Excell. D. MOEBIVS, quondam in Illustri propter Salam Præceptor noster æviternô cultu nobis semper colendus* nos docuit; (k) *Calidum innatum est substantia simplex, per se calida levis, Cordi in generatione Hominis per Semen insita, quæ partim à Sanguine materno in utero, partim ab alimentis extra uterum aucta, omnes corporis partes calore perfundit, nutrit, auget, estq; proximum Animæ ad omnes alias actiones expediendas organum.* Idem sensus ambarum sectamur nos priorem.

k) instit. med. c. 6. §. 8.

IX. GENUS est *Substantia*, pro qua Veteres ipsum calidum habuisse exinde quidam colligunt, quòd Autores semper dicant

cali

calidum innatum, non calor innatus: accuratè enim loquendô, Calor non est Substantia, sed qualitas & *differunt inter sese calor & calidum,* ut abstractum & concretum: quin imò non potest non referri calidum innatum ad corpora, *cùm* & è corporibus constituatur ac fiat *per* corpora instauretur, augeatur, crescat & conservetur. Pluribus hoc ipsum persequitur (l) *Sperlingius.* Cum *Scaligero* (m) qui ex sapientum scriptis calorem nativum vocant Spiritum, non entitatem spiritualem, sed subtilitatem eius intelligunt.

l) l. 7. Inst. phys. c. 2.
m) Exerc. 280.

X. Cœlestem naturam excludimus, neque ipsum credimus ἀνάλογον τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ, quod ex sinistra interpretatione verborum (n) *Philosophi* tractum obiiciunt. Elementaris autem naturæ id esse credet, speramus, qui considerat contrarium frigus elementare, per quod læditur & extinguitur: calorem, quô fovetur & refocillatur: materiam etiam ex qua fit, quâ nutritur, crescit & conservatur.

n) l. 2. G. A. c. 2.

XI. Ad ignem optimè referri posse demonstrat (o) *Conringius,* opposita quæ sentit argumenta solvit sicque lectus pro nobis respondebit. *Philosophum* (p) expresse ignem vocâsse, ut & ipsum Hippocratem novimus. Flammæ similem substantiam credidit (q) *Galenus*, qui cùm dixisset, *calidum nativum comparari flammæ,* subdit, *hic sermo apud omnes ferè recentiores tùm Medicos, tùm Philosophos in precio est.*

o) l. c. c. 6.
p) l. 2. de Anim. l. 4. l. 2. P. A. c. 7. 8. & 15.
q) l. de marasm. c. 3.

XII. Lucidam statuentium antesignanus est *Ioh. Keplerus* (r), quem *Bartholinus* (s), *Helmontius* (t) & alii sequuntur. Negativæ nos subscribimus.

XIII. Speciosè excogitatæ novæ illi sententiæ, quam de modo accensionis huius flammæ fovet Cl. *Sylvius, Med. Pract. in Acad. Batav. PP. ordinarius,* ubi de nutrimento huius ignis erimus acturi, propriam adsignabimus thesin, jam progredimur ad

r) Paralip. ad Vitell. & Harmon. mund. l. 4. c. 7.
s) Anat. ref. it. de Luc. an. l. 1. c. 21. p. 157.
t) lib. blas. hum. t. 24.

XIV. SUBIECTUM. Generalius calidi nostri subiectum præter totum corpus, est Cor, jamdudum docuit *Philosophus,* (u) Cor dicens *omnibus animalibus est necessarium,* διὰ τὴν τῆς θερμότητος ἀρχὴν, *propter caloris originem: oportet enim,* addit, *adesse locum aliquem quasi Lares focumque, quô Naturæ fomites & primordia ignis nativi contineantur & conserventur.* Galeni (x) testimonia sufficit allegâsse.

u) l. 3. P. A. c. 7.
x) l. 7. admin. anat. c. 8. l. 5. L. A. c. 2. l. 6. V. P. c. 7. & 8.

 XVI.

XV. *Commoditatem huius subiecti* & quas hoc in negotio Natura Cor subire jussit ad ellychinii vices præstandas *aptitudinem* non satis possumus admirari. Ut paucis multa dicamus: *Primò* longe diversa est Cordis substantia & natura, dum sanguinem non venis & arteriis, sed carne propriâ comprehendit: *accedit*, quòd caro illa sit bibula & spongiosa, nec sine modica densitate ad motum, qui sanguini arterioso in corpus universum expellendo necessarius, sustinendum, inhibet etiam impetum copiosioremque affluxum alimenti, quod per angustos meatulos sese insinuare debet. *Nec omittendum*, carnem illam cordis facilè incalescere, sicque calore suô mutuatitiô primarium ignem cordis juvare: Sinus & auriculæ, *quod etiam addendum*, licet ad cordis carnem non pertineant propriè, multum tamen ad ignis nativi conservationem faciunt. *Tandem*, nec ipsa extima cordis superficies frustra est carne reliquâ densior facta & obducta tunicâ, multum quippe facit ad calidi nativi tutelam.

XVI. *Specialius autem Subiectum* & radicationis alii habent aliud. De *latere sinistro* sunt diserta verba (y) Hippocratis & (z) Galeni. *Dextro* lateri primas defert Aristoteles, quem sequitur Sylvius (a). *Vtriq;* parti parem & æqualem defert calorem (b) Hoffmannus. *Pro basi* pugnavit (c) Meletius. *Septum intermedium* introducit Conringius (d) rationum suarum fundamenta ponens in carnis, quæ ibidem est, crassitie & immobilitate, & quod omnia etiam cordis latera externa sinuum pariter & basis ac conus extremus cordis ad medium illud septum, tanquam ad centrum sui motûs, contrahantur, unde ibidem vim moventem primò contineri colligit, calore fieri motum pro certo ponit: *primum autem motorem quiescere* docet (e) Aristoteles: Notat; interdum in aliqua cordis parte non nihil abscessui simile enatum, superstite tamen aliquandiu animali, in ipso autem Septo tale quid nunquam deprehensum, nec deprehensum iri. ἐπίκειον addere non sufficimus, pro tempore Neotericorum, quæ Hippocratis & Galeni fuit, sententiæ subscribimus.

y) l. 3. de Cord.
z) l. 7. V. P. l. 2. Temp. c. 3.
a) vid. §.
b) comm. ad Gall. V. P. n. 858.
c) t este Cõring.
d) c. l.
e) de anim. mot. l. 3. P. A. c. 4.

XVII. *Igne quòd cor non consumatur*, causam credimus *partim*

tim ipsius substantiam, *partim* quod calidum illud multô humore temperatum. Elegantissima sunt de hoc ipso verba Theophrasti (f) εἰς τὰς τήξεις, *inquit*, τὸ ὑγρὸν ἀχρεῖον, *ad liquandum inutile est humidum*; quæ sequuntur verba nos non addimus. f) l. de igne

XIIX. SECUNDARIUM subiectum sunt omnes corporis nostri partes, ad quas cum Sanguine vehitur, inter eas tamen cum primis *viscera*, quæ præ cæteris multô calore prædita esse ipsi sensus docent.

XIX. Placet ORDO, quem in iis locandis observavit Conringius, & locum 1. *Pulmonibus*, quod voluit Philosophus (g), 2. *Cordi*, 2. *Epati*, 3. *Lieni*, 4. *Renibus*, 5. *Testiculis* attribuit. g) l. 2. G. A. c. 6. l. de respirat. c. 13.

XX. De CAUSA MATERIALI & ortu ignis nostri alii aliter loquuntur. *Quidam* ipsum non naturalem, sed acquisititium: *alii* animalis corpore jam perfecto supervenire putant, excitatum motu arteriarum & cordis: *alii* illud κύημα Galeni pro ipso substituunt. *Nos* cum recentioribus, Philosophi legentes vestigia, (h) qui vocat calidum nostrum τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα, *spiritum, qui in semine spumosoq; corpore continetur*, dicimus, id oriri ex spirituosioribus seminis masculi partibus. h) l. 2. G. A. c. 3.

XXI. Ingeniosa est collectio *Conringii* (i), quâ calidi huius primordia proponit. Statuit calorem nativum primô statim conceptûs momentô adesse, cuius vi omnes partes generentur, & vero esse valde simile, prodire eundem ex semine maris saltem potissimam partem, eôque magis, cùm semen hoc femininô multô calidius, quippe quod suis adhuc vasculis seminariis inclusum sensibilem de se spargit calorem, qui maior fit & igneus quasi vel solis cogitationibus libidinosis aut pudendorum motu & contritu blandô, quem adhuc maiorem fieri in ipso certamine circa animalium genitalia observata incalescentia probet, nisi spiritus in arcu tendendo & spiculis eiaculandis sufficerent. *Nec est* ἄλογον, quod affert, simile de plantarum seminibus, quæ si aquâ madefacta & in cumulum coniecta, non solùm incalescant, sed suô illô igne in cineres semet ipsa haud rarò redigant: ut semen uterum ingressum gliscentem in se scintillulam in justum & generationi aptum ignem faciat exsurgere: i) l. c. c. 23.

gere; adiuvat illô tempore calefactus uterus & igniculis quasi radians, quodque sibi sperat obferri semen masculinum amplecti fovere & fermentare quasi gestiens, quô ipsô postmodum parvus ille ignis, qui perfecto semini inerat, & per Venerem adauctus, sufflatur magis ac crescit, donec suapte vi sese tueri potest, liber fit & mobilis ac alimenta quærit atque pabula.

XXII. PABULUM calidi nostri *remotum* sunt alimenta, *proximum* sanguis huiusque præprimis partes pinguiores sulphureæ. *Sperlingius* (k) calidum innatum alimentorum calidum nostrum vult nutrire: videtur, sed non est, nobis contrarius.

k) Physf. l. 7. p. 1143.

XXIII. De HUMIDO RADICALI, de quo omnes, non aliter ac suis in Theatris Anatomici de Vase brevi loquuntur, quid dicamus? una forsan & eadem hisce est veritas & existentia! *De vase brevi* notanda sunt verba supra citati Anatomici exercitatissimi, Sylvii, *de hoc*, inquit (l), *quicquid tanto cum apparatu, pompa, strepitu & ridiculo imperitorum applausu in theatris anatomicis, aut alibi, proferri solet à multis, id omne commentum est & somnium.* Idem ferè quis cogitet de humido radicali, cùm & hoc nullâ, quamvis maximè attentâ investigatione deprehendi in corde possit, ubi tamen debebat, cùm pro pabulo sui coætanei calidi nativi factum & præparatum creditur adservari: humor etiam sit corpus & quid sensibile: nec minima illlius quantitas desideretur, quippe quæ à primo ad ultimum vitæ terminum durare deberet. Introducamus *Conringium*. *Fac*, inquit (m), *quotidiè non nisi grani unius pondus humidi radicalis absumi, profectò ad vitam in annos centum, aut ampliùs, producendam etiam sic aliquam multis libris fuerit opus*: *certè*, pergit, *plus integrâ librâ requiritur per annos centum, utut in diem non nisi tertiam grani partem deputes*: *adhuc longè minus*, concludit, *usus quotidianus exposcat, saltem uncia, saltim drachma unica fuerit satis ad omnem vitam, illa utiq; quantitas esset conspicua in Corde fetus, aut primùm nati animalis, nec tamen vel hanc inde expresseris.* Quid si quærat, an à masculino, an feminino semine oriatur? ubi lateat antequam cordis amplitudo & capacitas eo recipiendo fiat apta. Nostrum hìc est ἀπέχειν:

l) disput. de Lien. & gland. §. 15.

m) l. c p. 84.

XXIV

XXIV. FULIGINES & EXCREMENTA an in hacce calidi nativi pastione generentur & fiant, quasq; per vias excludantur, Autores ambigunt. Claro illi de hoc *Galeni* (n) judicio apponimus *Magni* ROLFINCII, *filiali observantiâ nobis ubiq; & semper colendi*, judicium, quod tale (o). *Secundarius Pulsûs finis seu usus est σωτηρία τῆς καταψύξεως, conservatio ventilationis & à recrementis expurgatio. Vt ignis culinarius sine ventilationis motu extinguitur, fabellô motus reviviscit, ita noster naturalis. Ventilatione illâ fuligines pulmonum exspiratione difflantur per περιφέρειαν ἀδήλῳ διαπνοῇ, circumferentiam insensibili transpiratione discutiuntur & nonnunquam sudore sensibiliter expelluntur.*

n) de Vs. respir. c. 3.
o) diff. de Cord. c. 18.

XXV. Qui à simili petita hæc argumenta conantur evertere per hoc, quòd Vini Spiritus & Camphora conflagrent relictis post se nullis fuliginibus, ipsi contradicunt Experientiæ.

XXVI. Salsum illud & nitrosum, quod cum Urina nunc, nunc cum sudore per cutis spiracula & vesicam egeritur, ex hac pastione oriri putat Conringius : Sed cùm non videamus, quì possit è numero caussarum excludere, quam Philosophus & alii receperunt, τὴν τῆς τροφῆς scilicet ὑπόστασιν διὰ τὴν ἀπεψίαν, ita non videtur procedere, quod probationis locô affert, plus solitô genitam in ardentibus febribus salsedinem à sola illa adustione esse: largimur ipsi, cùm solutu sit facillimum, alluenti sero commisceri, & unà cum hoc vel per vesicam, vel cutis spiracula insensibiliter profundi.

XXVII. Novam nunc de modo accensionis & ventilationis innati nobis ignis producimus sententiam. Est illa *acutißimi illius Philosophi &*, ut idem de seipso, *Anatomici longè ultra centum humanorum cadaverum sectione exercitatißimi*, D. FRANCISCI DE LE BOE, SYLVII, *Præceptoris nostri in florentißima Batavorum Lugdunensi, plurimum nobis devenerandi*, cuius ipsa verba, ob raritatem, chariora speramus.

XXIIX. *Exorditur*, (p) quod hoc punctum concernit, de inspirati exspiratique aëris necessitate & utilitate, & *fundamenti loco præmittit, naturalem Hominis vitam pendere proximè ab ignis in corde accensi, hinc per arterias cum sanguine quaquaversum distributi, perpetuitate*, postquam ipsius extinctionem consequitur statim & semper

p) disput. med. 7. §. 52.

semper mors. Accendi ergò & ab extinctione præservari debe ignis ille cordis vitalis ad Vitæ perennitatem. *Accenditur autem ita & quidem perpetuò ignis vitalis ex sanguinis tùm adscendentis bile amara imbuti, tùm descendentis Lymphâ subacidâ referti in Cordis auricula dextra, hinc & Ventriculo dextro confluentis effervescentia, quam non valde absimilem putamus artificiosæ ex lixivio sulphuri cuivis per coctiram juncto ad aceti vel vini acidiusculi affusionem productæ. Censemus insuper multas partes igneas, tùm in acido Lymphæ spiritu, tùm in amara bilis sale lixivioso semper abundantes in conflictu illo à suis compedibus liberatas erumpentesq; aggredi & ingredi partem sanguinis butyrosam, illamq; blandè accendendo calorem illum sensui nostro manifestum causare. Effervescentiæ autem huic fervoriq; contemperando inspirationem aëris, halitibus verò tunc simul excitatis exterminandis exspirationem eiusdem opinamur dicatam.*

q) §.58. XXIX. Huius opinionis confirmationem, inquit, (q) petimus ex singularibus, quæ in Pulmonibus ipsis & animalibus Pulmones habentibus occurrunt observanda: quæ cum multa sint, mittimus.

XXX. Quâ autem vi aut quâ ratione inspiratus aër æstum

r) §.70. temperet, etiam probat. (r) *Quemadmodum 1. plus aëris requiritur igni fumanti flammantivè conservando, minus prunæ: sic plus aëris desideratur temperando cordis igni interno in animalibus respirantibus auctiori, minus in transpirantibus duntaxat pauciori. 2. Quemadmodum pro cuiusvis ignis augmento vel decremento plus vel minus aëris requiritur; sic pro aucto diminutovè ignis vitalis incendiô augetur minuiturve in nobis inspiratio, ac plus minusve inspiratur exspiraturq; aëris. 3. Quemadmodum etiam pro ipsius aëris diversitate observamus differre plurimum ignis externi vivacitatem: Sic ad eiusdem aëris mutationem deprehendimus & ignem cordis internum mutari sensibiliter, & respirationem contingere variam: nam existente aëre frigidô & siccô vegetior est ignis noster internus, proceditq; respiratio faciliùs: eôdem autem existente turbidô, æstuante & pluviosô, hebetatur ignis noster internus proceditq; respiratio difficiliùs.* Tandem 4. *ceu ignis fornace conclusus noster ignis vitalis existit vivacior, quando præter transspirationem integra permanet aëris inspiratio & exspiratio, hebescit verò quàm primùm alterutra vel minimum labefactatur, suffocatur deniq; ubi respiratio intercluditur.*

XXXI. Denique addit etiam & exponit, quid ex aëre sanguini, cuius æstum ab inspirato illo temperari demonstrârat, communicetur: *Cùm verò*, inquit, (s) *hactenus nihil observatum sit, quod condensandi hinc & æstum comprimendi vim habeat æquè ac Sal, proinde Salem puriorem ac simplicem per aërem dispersum suspicamur eumq; copiosiorem Hyeme aut hyemali existente aëris constitutione.* Et concludit; *Aerem inspiratum ratione salis sui purioris condensare denuò in pulmonum vasis sanguinem, in Cordis ventriculo dextro rarefactum, atq; operâ eâdem reprimere æstum maiorem in ipso simul excitatum, huncq; primarium esse Pulmonum & Respirationis usum.* Hæc Sylvius, quid laudis mereatur & consensûs, Doctioribus linquimus pensitandum. s) §.75.

XXXII. CAUSA FINALIS & USUS Omnes nostri corporis partes calore perfundit, nutrit, auget estq; proximum Animæ ad omnes actiones expediendas organum, uti ex Aristotele bene colligit *Mœbius* (t). *Habet sese ignis hic*, volente Philosopho, (u) *instar mallei in arte fabrili*: Et *Hippocrates* (x) dicit; *calidissimus in Corde ignis omnibus dominatur, obiens omnia secundum naturam, sine strepitu, cum visu, auditu, cum tactu: in hoc anima, mens, prudentia, auctio, motio, demissio, mutatio, somnus, evigilatio. hic omnia per omnia gubernat & hæc & illa, nunquam quiescens: ἐνὶ λόγῳ, ad summam, Ignis omnia, quæ sunt in corpore, suo modô ad universi imitationem parva cum magnis & magna cum parvis disposuit.* Hinc suam erroneam de anima sententiam hausit *Andronicus Rhodius*, cùm ipsam calorem esse credidit, quem redarguit *Philosophus* (y) dum *φορτικῶς, importunè* ita statui dicit. t) l.c.§.14. u) l.5.G.A. c.8. x) l.1.de diæt.t.35. y) l.2.P.A. c.7.

XXXIII, DIFFERENTIA. Pro dignitate hocce argumentum nos exsequi velle, non pollicemur, digitum tendemus ad fontem & tempori studebimus.

XXXIV. *Naturâ Mares Feminis, ut in universum dixerim, vivaciores*, sunt verba Philosophi (z) *cuius rei causa est, ὅτι θερμότερον ζῷον τὸ ἄῤῥεν ἐστὶ τοῦ θήλεος, quòd Mas Feminâ calidior.* Senium ætatibus integressis frigidius esse idem probat; (a) *Senectus & quod emortuum est, obarescit algetq;*: adsentit *Cous* (b) qui etiam diversitatem nos docet intercedentem tempore somni & vigiliarum, cui adstipulatur ipse *Galenus* (c), quorum verba prolixiora brevitas & z) l. de juv sen.c.5. a) l.c. b) l.§.14.l.6. epid.f.4.5. c) in comment.

 nostri

nostri instituti ratio recitare vetat: unum hoc addimus *Philosophi* (d), *Qui somnô premitur, & deficit & refrigeratur, atq; ob frigus palpebræ decidunt, quin & partes superiores & extimæ frigent.* Ad *animi motus* moveri, alterari, augeri minuive calorem hunc in se quivis observabit. *Aer* quid possit, docuit Sylvius. *Hyeme & vere ventres esse calidiores*, est effatum *Coi*: (e) adde quæ proponimus infra.

d) l. de Sõn. c.3. l.3 H.A. c.19.

e) 1. ℌ.15.

XXXV. Et hæc de calidi nostri Ortu, Incremento, Differentiis & Usu. Nunc *quoniam*, juxta effatum Philosophi (f), *necesse est Vitam & calidi huius integritatem, &, quæ ita vocatur, Mortem ex corruptione esse*, pauca addemus de interitûs & extinctionis modis.

f) l. de Iuv. sen. vit. & mort.

XXXVI. Discrimen autem præmittimus inter mortem naturalem, prout illam Philosophus sumit & Vulgus. juxta Philosophorum enim mentem id solùm naturaliter mortuum dicitur, quod vitâ suâ ad debitam perfectionem deductâ, absque ullo morbo obit & obdormiscit: & dicitur *naturalis*, licet *Aristoteles* (g) vocârit πάντων τῶν φοβερῶν φοβερώτατον, *sumtâ voce hac pro eo, quod rei, cuius est, naturam necessariò consequitur, ita ut in ea existentiæ suæ principium habeat: nam inest homini viventibusq; ceteris Mors ex materia physica, jam potestatibus animæ subservire amplius nequeunte, explicante ita Cœl. Rhodiginô* (h). Hinc accidit, ut hæc mors naturalis sine ulla notabili doloris aut molestiæ sensu animantibus superveniat, uti scribit *Philosophus* (i) ἄλυπος ἐστιν ὁ ἐν τῷ γήρᾳ θάνατος, *sine dolore est mors in senectute, nam nullô violento affectu ipsis accidente moriuntur, sed prorsus sine sensu Animæ fit solutio.*

g) l.3. eth. c.9.

h) lect. antiq. l.21. c.4.

i) de respir. c.17.

XXXVII. Modorum quibus calidum nostrum soleat destrui *Aristoteles* (k) primum vocat σβέσιν, *alterum* μάρανσιν: illa est extinctio à contrario, adeoque semper violenta: hic marcor naturalis: explicationem inveniet c.l.

k) l. de respirat. c. 8. l. 3. de cœl. c. 6.

XXXIIX. Aristotelicum hoc dogma alii aliter exponunt, quorum enarrationi supersedemus. *Conringij* mens quæ sit, paucis addimus. Putat ignem nostrum verè & propriè interire modis duobus, scilicet factâ transmutatione per frigus contrarium, & ex defectu sobolis, quem ultimum modum contingere pos-

re posse putat, cùm ex Materiæ, tùm caussæ efficientis, Loci & Temporis vitiô, supra citatum, sed nunquam satis laudandum, Tractatum ut B.L. adeat, rogamus.

XXXIX. *Nos ita deducimus*: Ignis noster nos deserit, interit & extinguitur, vel *Naturaliter*, vel *non*; quod fit, vel I. adveniente *Marcore*: *II. Extinctione*: *III. Suppreßione*: *IV. Suffocatione*, & *V. Dissipatione*. Posteriores quatuor modi sunt non naturales, primus solus naturalis; alter sine altero nequit considerari: voluisse sat erit!

XL. *Marcorem*, qui primus & solus modus est, quô naturalis mors nobis accidit, & vitæ curriculô decursô necessariò nobis obvenit, mortem inferre omnium naturalissimam quamque evitare nemini datum, supra dictum. Causari hunc dicit *Aristoteles* (l) ab impedita respiratione, cui suffragari videtur primô intuitu, Experientia, quâ Senes Pulmonum morbis maximè laborare constat: & *Hippocrates* (m) inter Senum morbos collocans primô locô δυσπνοίας. Sed remotior hæc est causa & causa causæ: qui Pulmones exsiccatos accusat, unde exsiccentur causam afferat: arripimus, quam affert Conringius, *Cordis scilicet indurationem*. Etenim certum & ipsi Philosopho verum est, Cor ut Pulmones per ætatem indurescere, & quia Cor Pulmonibus est multô calidius, videtur hæc induratio magis obtinere in Corde. Exinde verò calorem de facili extingui posse, vel ex uno hoc colligitur, quòd Cor induratum ad motum fiat ineptum, sanguinem non possit in sua interiora ad principium Caloris admittere nec expellere, (& hoc modô Pulmones, immediatè à Corde sanguinem accipientes, exsiccantur) ut hinc necessariò in Cordis sinubus sequatur vel sanguinis defectus, vel retentio & copia nimia, quæ per σβέσιν, ut illa per μάρανσιν, nocet.

(l) l. de respir. c.17 18.

(m) 3. §.31.

XLI. *Adde*; Cor exsiccatum ellychnii vices obire non posse, nec ipsum amplius calefieri, unde ignis debilitas, debilitata arteriosi sanguinis coctio, & hac frustratâ ipsius alimenti defectus, quem Cordis & totius tabes sequitur & mors. *Ex quibus optimè concluditur*; Cordis siccitatem causam esse maximè naturalem marcoris seu mortis naturalis. Si enim Pulmonum aut alterius partis vitiô extingueretur nativus cordis ignis, non utique

que propriô cordis, adeoque ipsiusmet & principii affectu, sed aliûs efficeretur interitus. Nec impedimentô quôdam refrigerationis, sed exsiccatô caloris principiô, animalia illa, quibus nullæ sunt branchiæ aut Pulmones, ut & Plantæ, ignem nativum amittunt: Communis autem rei, communis est causa.

XLII. Galenum hanc cordis siccitatem cum dependente exin morte prævidisse credibile, quia (n) *solius cordis siccitati inevitabilem nativi ignis extinctionem adscribit, quòd cor tandem nequeat attrahere alimentum.* Pabuli autem defectum ad internecionem esse viam, quis negat? τροφὴν δὲ μὴ λαμβάνοντα καὶ τὰ φυτὰ καὶ τὰ ζῶα φθείρεται, *cùm alimentum non recipiunt, tàm animalia, quàm plantæ, interire solent*, scribit Philosophus (o) συντήκει γὰρ αὐτὸ, τὸ αὐτὸ, *idem seipsum emacerat.*

n) l. de marasmo.

o) l. de juv. & sen. c. 4.

XLIII. Viscera primæ & secundæ coctioni destinata & famulantia, quid huic tribuant, nobis declarare tempus non sufficit. *Diuturnas inedias* habemus pro fabulis, & quæ narrantur plurima esse suspectæ fidei. *E numero verè abstinentium cum Conringio ejicimus,* à cibo solido, non autem à Cerevisia, lacte, vino, aliove simili generoso potu abstinentes. Solidus enim cibus non simpliciter ad vitam calidumve nativum tuendum est necessarius, sed facere videtur ad id, ne partes corporis solidæ nimiâ humiditate flaccescant, & ut justa siccitas, unde corpori suum robur concilietur. Morbô decumbentes ad multos sæpe dies ab omni cibo abstinuisse, regerenti, respôdemus, eos interim usos vel potu, vel aliis succis nutritiis aut medicamentis confortantibus.

XLIV. *Secundus modus* est *Extinctio* & ab adventantibus heterogeneis igniq; contrariis pendens interitus. Repetimus verba Aristotelis, ubi ait; (p) τελευτὴ δὲ καὶ φθορὰ βίαιος μὲν ἡ τοῦ θερμοῦ σβέσις, *obitus verò atq; corruptio violenta quidem est caloris extinctio.* Quemadmodum autem videmus plantarum calorem nativum ab intenso frigore extingui ipsasq; aridas decidere: idem quoq; animalibus posse accidere non dubitandum, licet hic modus minùs sit frequens, quòd aëris & aquarum injurias animalia pleraque imprimis Homo, variis modis à se aberceant. Elementari frigori imminui posse & extingui nostrum calorem negantibus dictat pœna stabit, & nudô corpore inter nivem & glaciem horridi Aquilonis violentiæ ut exponantur, non impediemus.

p) l. de respir. c. 18.

XLV.

XLV. Prohibitæ causæ huius vices subeunt & eâdem gravitate præstant adsumta aut exteriùs applicata medicamenta stupefacientia & σύπτικα, item alimenta nimis infrigidantia.

XLVI. Papaveris succus, Mandragora, Opium & similia, an agant solâ frigiditate disputatur. Quæ de Opio docet *Sperlingius* (q) de reliquis forsan etiam vera. q) Physf. l.7. p.1180.

XLVII. Heterogeneorum aliorum catalogum non scribimus, sunt fere innumera: à culinario igne hoc discamus, ipsius naturæ quàm maximè contrariari virida & humida, quod suis calefactores testantur lacrymis: detineamus ergo nos ab humidorum copia, fructuum horariorum & aliorum aqueô succô turgentium esu crebriori: cordis enim ignem extinguere tentant & suffocare, plerumque corpore refrigeratô & tumefactô mors pallidos totos rapit & enecat.

XLIIX. Qualitas calidi innati ad vitæ longævitatem & brevitatem quid faciat, docens *Philosophus* hæc addit (r); *Præterea oportet, ut quod haud facilè corruptibile sit, nequaquam excrementis abundet, quod enim tale est, aut vi morbi aut suapte naturâ interimitur, nam excrementorum virtus atq; facultas vicem subit contrarij atq; interdum naturam ipsam, interdum partem corrumpit.* r) l.de juv. sen.2.c.5.

XLIX. *Modum tertium* diximus *Suppreßionem* à pabuli copia, quam adaugere credimus denegatum. Tempus & Locus pabulum depascendi & subtilisandô sanguinem imminuendi. In corde restitans sanguis spacia & cavitates omnes adimplet, & quô minùs qui lambendô sese exsatiat, calor alimentum superet, prohibet, unde extremarum partium calor incipit languere, saguine scilicet è corde ad ipsas relabente non ignitô aut nativi ignis radiis illustratô. *Nam quemadmodum, teste Philosophô* (s) *congestu ignorum ignis restinguitur; ita multâ alimoniâ calor naturalis elanguescit* Coniungamus cum hoc sequentem; s) l.de Sõn. vigil.c.3.

L. Describit illum *Aristoteles* (t), *ea* inquiens, *corruptio calidi nativi, quæ ob refrigerationis penuriam fit, suffocatio dicitur, & quæ ita intereunt, dicimus suffocari*; eadem fere & alibi repetit. t) l. de respir.c.9.

LI. Causæ cùm sint variæ & multæ plures quæ externæ & violentæ, anxiè illas non conquiramus: datur forsan in subsequentibus occasio: Pergimus nunc ad ultimum modum, qui huic est contrarius.

LII,

LII. *Quintus modus* eſt, ſi ignis noſter nimium ventilatur deſinit eſſe, aufugit & diſſipatur nullumque de ſe accenſum relinquit igniculum, & diximus eſſe *Diſſipationem*.

LIII. Simile nec hìc nos deficit. Quemadmodum aperto aëri expoſitus ignis appoſita ligna omnia ſimul invadit & comburit, & vix prunas relinquit, ſed cineres ferè mortificatos: ita & noſter ignis, nimiô motu aliâve causâ agitatus creſcit totamque ſanguinis maſſam ſimul accendit & totum exæſtuare facit corpus: cùm remiſit, vix caloris ſcintillam in exterioribus partibus animadvertimus: quid? ipſe focus, qui totus illâ flammâ erat obrutus, frigere quaſi incipit, id quod ex Palpitatione
u) l.c.c.20. colligitur, *Calor enim defugiens*, inquiente Philoſophô (u), *ſeſeq; contrahens, motum facit & palpitatio eſt compellentis frigoris repulſio.* Sæpiùs ita diſſipatus recolligere tandem ſeſe nequit & totum interit & exanimatur corpus.

LIV. Ut denique Phyſicis hiſce & theoreticis Practica quædam addamus, quantum quidem inſtituti & temporis ratio permittit, placet morborum claſſes ſtrictô percurrere pede, & quibus modis hic vel ille morbus noſtri ignis interitum moliatur, diſpicere, ut reverſi per DEUM ad Praxin auxilia noſtra & arma eò dirigamus, quæ jam minutiſſimô aſteriſmô notâſſe ſufficiat.

x) l. 2. offic. LV. Notatu digniſſimum eſt *Ciceronis* (x) præceptum; *Valetudo ſuſtentatur ſui corporis notitiâ & obſervatione earum rerum, quæ aut prodeſſe ſolent aut obeſſe, & continentiâ in victu omni atq; cultu corporis tuendi causâ, & prætermittendis voluptatibus; poſtremò, arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent.* Totum enim opus videtur conſiſtere in Diætæ & ſex rerum non naturalium diligenti obſervatione: hæc eſt ille Philoſophorum Lapis, omnibus recommendanda & apta Ætatibus, nulli metuenda Sexui, quovis Tempore tractanda, & cunctis Morbis ſine ullo ſubſequuturi mali metu, congrua & concedenda, cùm illorum non paucos ipſa
y) 3. L. A c. 7. ſola curet, Teſte Galeno (y).

LVI. *Aer* quid in ignis noſtri alteratione poſſit, dictum ſuperiùs. Purum purus, impurum impurus ſequitur, qui pro mali-

malignitate & pestilentiâ aut dicto citiùs interit aut febribus malignis hostis sui atrociam testatur & dolet.

LVII. *Cibum & Potum* modicè adsumptum corpus in naturali sua constitutione conservare, uti notum est & certum, ita certissimum, immodicè adhibitum & intempestivè, flammæ in sanguine nidulantis, eidem resistendô, activitatem eius impedire, & eius extinctionem & dissipationem moliri, intoductâ, per uberiorem affluxum chyli, dispositione in visceribus, quæ allabitur, impuritates ibidem linquit, vasa replet & fibras lab efactat & destruit.

LIIX. Hinc Cacochymia, Cachexia, Scorbu tus, Affectus Hypochondriacus, & alii morbi ignis pabulô deterioratô nocent, ignem supprimunt & extinguunt. *Curaturus* sanguinis depurationem post viscera correcta sedulus intendat & acceleret, interim Cor defendens, ne tetris & malignis vaporibus, quos dicti morbi spirant, petatur & opprimatur: unô impetu hostem de loco pellere nunquam audeat, mortem enim multis hoc motu inopinatam advenisse & securis vitæ hanc lapadem eripuisse constat. à Cervo desumta medicamenta primas tenent, ut Spiritus, Sal volatile fixatum, sequuntur cardiaca alia.

LIX. Idem hoc observare habemus in Melancholia, Passione Hysterica, Seminis & Menstruorum retentione & corruptione. Sanguinis massæ sese adsociantes tetri vapores Cordis intrant thalamum, ibique degentem adoriuntur flammam, suppressionem minitantes & suffocationem, ni prophylacticis & cordialibus instructum viderint Medicum, licet per sanguinis subtractionem haud malè incipiat nonnunquam operari.

LX. Cruditate hac & Viscerum ἀτονίᾳ stante, Apoplexiæ, Epilepsiæ, Incubo & aliis affectibus soporosis, dantur manus, qui omnes suffocandô nocent. Sanguinis motus cum in his vix integer sit & naturalis, cordis obruit & Cerebri ventriculos, eos replet, sicque submersam & ventilationem anxiè desiderantem flammam suffocat.

LXI. Utilissima hìc non rarò evadit Venarum apertio per latius ferrum: tali enim modô extinctos, si non toto corpore, certè tamen uno latere suffundi sanguine observârunt (z). Accersi-

z) Gal Greg. Horst. observ. p. 349. l. 3. ep. & cõsil. sect. 16.

cersiti cardiaca demus præcellentiora, spirituosa & liquida, simu respicientes ad sanguinis motum conciliandum: ab oppression virium, quæ præstò est, debilitas, non nisi timidum Medicum Venæ sectione arcebit.

LXII. *Quies, Motus, Somnus & Vigilia* benè & rectè sese habentia, bona, sin malè, mala, excessu vel defectu peccanti in cibo & potu prægressa vitia summô adiuvant opere, & u dicti affectus citiùs introducantur, laborant, ut suffocatur calorem nostrum fœnerentur, quem & dissipandô non rar suffurantur; ut contingit nimiô motu, exercitiis vehementior bus & diuturniore labore se emacerantibus & enecantibus: I Adolescentibus per vina fortiora copiosiùs hausta, Venerem in tempestivè & arctiùs complexam: Lucubrationes continuas & intentiores cogitationes. Refrigerantia his poscentibus Medicus dabit potiùs ad extra, quàm ad intra, ne saltus ab extremo rum uno ad alterum fiat mortifer.

LXIII. *Excreta & retenta* modis variis nostro obversantu igni, cùm ad inflammationes, tumores, exulcerationes & alio affectus suum tribuant ἐπιβάλλον μέρος: nimiâ hemorrhagiâ ho minem interire posse omnibus etiam notum. Lapsi ab alto, v lapide aliôve violentô violenter tacti, an huc referendi, quate nus â Sanguine concurrente, extravasatô & putrescente obitu minantur? Venæ sectio hìc locum habet, & aliis medicament accersendis locum procurat & tempus.

LXIV. *Animi Pathemata* maximam in vitalem flammam po testatem habent & vim. In *Tristitia* & similibus affectibus, san guis cum suo igniculo vocatur ab exterioribus ad interiora, Co dis aggravat Ventriculos & primigenium, qui ibi residet, igne suffocat: est exinde exteriorum partium horror, tremor, pall omniumque virium lapsus, quod Harveus (a) docet; *concentrat* inquit, *fixôq; leviter sanguine, velut in Lypothymia, Timore, frigore e terno & febrium insultu, videas corpus illicò totum frigescere, torpore pallore livoreq; perfusum languescere: evocatô autem rursus sanguine, p adhita fomenta, exercitia, &c. hui! quàm subitò omnia calent denuò fl rent, vigent, splendent.* Scilicet, quemadmodum abscedente cal re solari omnia, etiam calidissima, frigere incipiunt, horre omn

a) l. de gen. animal. p.303.

omnia, languent omnia, imò nisi à colore solari refocillentur, pereunt omnia: sic calore cordis imminutô & retractô aut suppressô, confestim imminuitur & reliquarum partium calor, torpent actiones earum antea vegetæ, & nisi à Cordis calore excitentur iterum & refocillentur, quod non nisi per sanguinem fieri potest, planè interirent.

LXV. Ob *Timorem* qui obierunt, uti historiæ testantur, non nullos ob Timorem repentinâ morte mortuos, suffocati interierunt, scil. animulâ sub valido hoc affectu oppressâ & suffocatâ, uti perspicuè docet *Galenus* (b) & exemplis declarat *Plinius* (c).

b) 2. de caus. Sympt. c. 5.
c) l. 7. nat. hist. c. 36.

LXVI. *Gaudium*, motu contrariô internum calorem evocat ad exteriora, dissipat, flammæque materiam ad sobolem sibi similem producendam, subtrahit, ipsamque extinguit; Hoc modô *Diagoram*, cùm eodem die Olympiæ vidisset filios suos vincere & coronari lætissimè gavisum, obiisse testatur *Gellius* (d).

d) l. 3. noct. attic. c. 15.

LXVII. Alternus hic sanguinis & spirituum motus, quod incidenter, uti omnibus nocuus, ita vel maximè *gravidis*. ad hanc enim alterationem & ipsum fetum sese debere alterare, est credibile, qui quò nunc maior, aut minor, maius & minus imminet abortionis periculum: multiplicante enim sese jam flammâ & novum motum in spiritibus excitante, qui vel ob tristitiam aut alios animi motus languidi erant sopiti & absumti, sanguis totus exagitatur & cum abortûs periculo spiritualentiam noxiam excitat, in & citra ipsum uterum.

LXIIX. Tandem introducimus *Febres*, quibus quemadmodum nullus morbus est communior, ita & iisdem dictorum morum nullus inhabilis, quô non junctæ vel per se vel per accidens nostrô defraudare possint calore. Sudorifera & alexipharmaca, ut Mithridat: Lap. bez. CC. Sal. Cardbct. Mixt. simpl. Acet. Bezoard. & alia febricitantibus danda lippis etiam innotuit atq; tonsoribus: Nos ad τὸ ὅτι in eorundem medicamentorum respicientes: malignos halitus non solùm dissipant & flatus, sed humores frigidos viscidosque simul consumunt & expellunt, sicque fuligines à centro ad peripheriam profligant, sanguinis æstum minuunt, illum ventilant, inque motu suô conservant, & ita à suffocationis periculo nostrum liberant ignem.

LXIX.

LXIX Ulterius progredi, esset pactum transgredi & promissa non servare; itaq; filum abrumpimus, & cùm simus Homines, omnesque, ut est in Tabula Cebetis, deceptionis gustemu latices, nec reperiatur, qui securus Momo medium possit osten dere digitum, si qua erratum, benignitatem non acerbitatem speramus, precamur!

Interim

GLORIA, LAVS ET HONOR SIT PATRI, GLORIA NATO,
SPIRITVIQVE SACRO GLORIA, LAVS ET HONOR.

Ad thesin XXIX. p. 8.

Ad thesin XXIX. p. 8.

Omissa Sylvii verba B.L. hic reddimus legenda. *Considera dum*, inquit, *1. Solos Pulmones accipere sanguinem & tantùm ex dex Cordis ventriculo per arteriam suam Pulmonalem. 2. Solos Pulmones mittere sanguinem & tantùm ad Cordis auriculam sinistram & Ven culum sinistrum, per venam suam Pulmonalem. 3. Solos Pulmones acce se vas continuò patulum, tracheam videlicet arteriam. 4. Solùm Pul nes habere animalia, quorum Cordi est annexus Ventriculus dexter. 5. monibus prædita animalia calorem habere in suo Corde & Corpore jorem, quàm cætera Pulmonibus destituta. 6. In singulis animalibus mones habentibus pro caloris in ipsorum corde accremento aut decrem augeri imminuive respirationem. Unde liquet 1. in eundem scopū collin Ventriculi cordis dextri Pulmonumq; productionē. 2. Propter ignem & Ventriculo rem auctiorem concessos animalibus cum dextro Cordis Ventriculo Pu nes. 3. Calorem proinde in Cordis Ventriculo dextro excitatum maio cohiberi denuò & temperari in Pulmonibus ab aëre inspirato. 4. Hui inservire tùm arteriam Venamq; pulmonalem Sanguini devehendo anti, tùm arteriam asperam aëri æstum temperaturo, per inspirati admittendo, hinc & absolutâ temperatione rursum per exspiration mittendo destinatas.*

FINIS.